

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XLVIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

XLVII.

Salutem à filio DEI, qui est præsidium & decus sua Ecclesie. Reverendi & Clarissimi Viri, fratres in Domino dilecti.

Cum pro asserenda veritate doctrinæ cœlestis nunc in acie stetis, adversus maledicos & virulentos hostes: quæ res quanti sit laboris, & cum quibus periculis sit conjuncta, mihi non est prorsus ignotum: sæpè precibus meis vobis adsum, ut ipse filius DEI dux exercitus Domini, suo spiritu vestra regat consilia, & largiatur corporis & animi vires, ut strenuè & animosè præliemini prælia Domini, & spiritus maledicos conculcetis. Quo consilio me nominaveritis D. D. Elestoribus, cum antea vestris deliberationibus de formula concordia & Apologia habitis non interfuerim, & ad profectioes sim planè ineptus, non intelligo. Persuadeo tamen mihi, vos singulari erga me benevolentia adductos fuisse; pro vestra autem prudentia facile colligitis, me non decere in tanta re quicquam suscipere, sine expresso Illustrissimi mandato. Nec vero mihi de voluntate celsitur, ipsius, ut V. R. D. existimant, constat. Cum autem crastino die, si omnipotenti DEO visum fuerit, ad illustrissimum Principem nostrum, qui in loco vicino Schöningæ nunc agit, venturus sim, has à V. R. D. ad me missas celsitudini ipsius exhibebo, ac si quid intellexero, quod ad promotionem publici negotii pertinebit, & vos scire retulerit, ejus reddam vos è vestigio certiores. Moram refutationis opponendæ Blasphemis Calvinistis, non solum molestè fero, verum etiam Ecclesiæ valdè detrimentosam esse judico. Hostes nostri sunt alacres, diligentes, intenti in omnes occasiones, ardent zelo, sed non secundum scientiam, multorum rudium animos occupant: nos interea torpemus; nam filii hujus seculi prudentiores sunt filiis lucis. Quod Dominus Chemnitius nihil hæctenus opposuit scriptori blasphemò, impudenti *xyj. witradii*, L. Danæo, mirantur docti, molesti ferunt boni, dolent pii. Utinam vox Spiritus Sancti: *ὁς δὲ ἐκ τῆς ἐκκλησίας*, ipsum excitaret & inflammaret. R. D. V. commendo filio DEI, custodi Ecclesiæ, qui nec dormit, neque dormitat. Helmstadii, 9. Junii, Anno 1582.

Tilemanus Heshufius.



XLVIII.

Salutem à filio DEI, Domino nostro JESU Christo, qui est refugium à nimbo, & umbra- culum ab aestu. Reverendi & Clarissimi Viri, Domini & fratres colendi.

Quam pio & sancto zelo per spiritum DEI accensus sit Illustrissimus Princeps & Dominus, Dominus Julius, Dux Brunswicensium & Luneburgen-

gensium, Dominus meus clementissimus, in promovendo negotio salutaris in Ecclesia concordiae, & in adferenda Evangelii veritate, qua omnis nostra continetur salus, quamque non parcat neque labori neque sumptui, ut Christi regnum ampliatur, R. V. Dig. perspectissimum esse non dubito. Heri sanè cum R. V. D. literas ad me de colloquio nostro datas, Cels. ipsius exhibuissem, clementer admodum accepit, quod ex litteris vestris cognovit, vos non gravatim Helmstadium venturos, & de negotio ad Ecclesiae concordiam & salutem pertinente mecum fraternè & in timore Domini deliberaturos. Animadverti, ipsius Cels. gratissimum esse, quod voluntates vestras promptissimas erga me exposueritis. Clementer adensus est Illustrissimus, ut colloquium nobiscum de negotio religionis, & praesertim de adornanda Apologia Formulae concordiae, quae Calvinianorum blasphemis & impudentiae plenis clamoribus, ex solido verbi divini fundamento opponenda est, susciperem. Promisit ipsius Celsit. pro singulari suo studio pietatis, quo flagrat, se adiuturam mihi in hoc gravissimo & summè necessario negotio, non solum Theologos rectè sentientes, & timore Domini conspicuos, verum etiam viros Politicos, consiliarios suae Cels. in doctrina Ecclesiae rectè institutos, sapientia insignes & salutaris concordiae negotio faventes, qui nos & auxilio & autoritate juvare poterunt plurimum.

Conventui nostro dictus est dies Martis post Viti, qui futurus est 19. Junii. Expectamus igitur adventum R. d. vestrarum ad 28. hujus mensis: hospitium vestrum habituri estis apud Pharmacopolam nostrum, qui vicinus est Consistorii nostri loco, in quo conventuri sumus. Si quae humanitatis, fraternae dilectionis & Christianae pietatis officia in R. D. V. à me proficisci possunt, singulari promptitudine animi ea praestabo. Filium DEI, angelum magni consilii, oro, ut suo Spirito Sancto conglutinet pectora nostra, mutuo & sincero amore, inflammet animos nostros ardenti zelo tuendi aeternam DEI veritatem, coroboret etiam nos, ut non detrectemus quævis pericula subire pro adferenda gloria Christi, & munienda fidelium salute, & dirigat omnia consilia & conatus nostros, ad nominis sui laudem. Schoningæ 12. Junii 1582.

Tilemannus Heshusius.

XLIX.

S. D. Reverende & clarissime Domine Compater.

Litteras tuas 17. Junii datas, summa cum voluptate legi, cum quod benevolentiae erga me ac *expansivitas* tuae significationem valdè illustrem, tum quod de pa-
triae